



Politicorvm Libri Decem

Contzen, Adam

Colonia, [1621]

Cap. XXIII. Angelus Apocalypsis 14. 6. Lutherus non est, nec is contra
Pontificem audiendus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95437](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95437)

butum, eorum discipulum. Essenos admodum laudant historiæ, liber hebræorum quem Iuchasin vocant, Essenos Nazareos appellat, quos 70. nominare solent *ἡσαστῆρες*, origo eorum ab Rechabitis, quidam eorum erant *Κεϊνόβιαι*, alii *μονάζοντες*, ita Iosephus, alique. Abraham Zachutz, moribus optimis ait fuisse, odio habuisse lucrum, causasse scortationes, & Iosephus *Καταφροντίας* fuisse *Ἰσλάτυ*. & lib. 18. cap. 2. *βαλπίτης ὁ ἄλλος ἀνδρὲς τὸν τεύπον*, optimis moribus præditos, cœlibes, agricolas, deliciarum, vt vnctionis & ornatus exortes, de fato, quod illud crediderunt, bonum sensum habere potest. Si Esseni viri boni, & sancti fuerunt, non docuerunt Ioannem consuetudines legi Dei contrarias; si hæretici, vt fere sentiunt nouiores, Ioannem quoque eorum discipulum, & imitatore hæreticum faciant oportet, vt cuius vita tota fuerit diuinæ legi contraria, & à Christo improbata: cum tamen de eo dictum sit, & tu puer Propheta altissimi vocaberis, præbent enim ante faciem Domini parare vias eius, ad dandam scientiam plebi in remissionem peccatorum eorum.

Contumeliosa est laus eorum, qui tam sanctos accusant.

Hæc generatim monere volui, ne quispiam tot calumniis, quas plenis mendaciorum plaustris deuehant, moueatur, cum videt, non modo pontifices, & clerum, sed quod impium est, veteres martyres & eorum Ecclesias antichristianissimi accersi, imo S. Ioannem Baptistam, impietatis, & erroris accusari. Id Deum rogamus, ne vnquam illo ore laudemur, quo tam sancti tam impudenter accusantur, nec ab illis, qui non magis à nobis, quam à Baptista recefferunt.

CAPVT XXII.

Aliæ causæ, cur à nobis recefferint, iniustæ.

§. 1. **O**STENDI causam eût tanto odio in pontificem, Catholicosque ferantur, non esse in nobis, sed in malitia apostatarum, nam pari modo in veteres martyres, & Ioannem Baptistam inuadunt. Nunc causas speciales examinare placeat. Causas tot allegant, quot articulos à nobis diuersos tuerunt, sed eos singulatim deinceps explicabo, nunc quæ proprie in pontifice carpunt, videamus. Refferri illa ad tria capita possunt, superbiam, quod se Deo æquet, Regibus imperet, duplicem potestatem vsurpet, 2. libidinem, quod scortationem appetat, quod impure viuat. Auaritiam quod fraudibus omnes circumueniens opes colligat. Hæc omnium argumenta sunt concionum. Legi potest vel vnus Pandocheus, non quod reliquis doctior, sed quod mendacia in concione velut in Pandocheio errabundus constiparit. Aut Vincentius Schmuck in thesibus. Vel sane si varietas placet. Simon Steinius poeta, qui ridicule mendax carmen miserum in Academia Heidelbergensi disperdidit, ille saltem legenti gratias ager, & quidem carmine, quo miserimos versiculos conclusit.

Quod reliquum est, auditorum, mea musa, corona,

Pro tanto sese gratam declarat honore,

Quod voluit præfens decorare senem capularem.

Quia vero ex Daniele & Apocalypsi omnes pontificem oppugnant, & scripturarum deprauatione hæreses stabilire conantur, ego quoque loca illa explicanda sumpsi, vt omnibus constet, quantum à vero aberrant. In quo iterum & merito, & serio protestor: Ex Apocalypsi non posse eos fidem firmare suam, cum illum librum primores Lutheranorum, & Caluinianorum repudiarent, & posteriores esse non possint, quam illi fuerint. Secundo

Ex Apocalypsi nihil agere contra Pontificem possunt.

Prophetias Danielis, & Apocalypseo esse obscurissimas, ab interpretibus varie intellectas in pontificem intorquent, & catholicos omnes, & ex coniecturis leuissimis condemnant, & pœnas atrocissimas decernunt. Fateor, inquit Pareus (qui anno 1618. in cumulum iubilorum omnium edidit commentarios in Apocalypsin,) complures seculi nostri maioris notæ Theologos, Lutherum, Melancthonem, Bucerum, Martyrem, Caluinum, Bezam, alios, ab interpretatione Apocalypseo abstinuisse. Id vero neque auctoritatem libri diminueret, neque interpretibus aliis præiudicare potest. Quis scit enim obscuritate absterriti, an laborum mole, temporis angustia præditi abstinerint, cum de libri auctoritate minime dubitarent. Tandem fatetur illos commenta parum coherentia, aut ad mentem Spiritus sancti quadrantia protulisse. Factum inde, vt cumulati quidem in hunc librum commentarij exstent, quorum nullus non nouam lucem pollicetur, obscuritas vero eius non modo non sit imminuta, sed densioribus alicubi tenebris inuoluta. Nihil vnquam in his rebus dixit verius Pareus, & si ita pergat, aliquam tot mendaciorum veniam meretur. Ex his ergo tam obscuris damnari nos æquum non est. Sed rem ipsam videamus, vt magistratum Ecclesiasticum, sine quo nec concordia, nec disciplina consistit, stabiliamus.

Lucem promittunt, & tenebras cõdentsant.

CAPVT XXIII.

Angelus Apocalypsis 14. 6. Lutherus non est, nec is contra pontificem audiendus.

APocalypsis 14. 6. ita scribitur. Et vidi Angelum volantem per medium cœli habentem Euangelium æternum, vt euangelizaret sedentibus super terram & super omnem gentem, & tribum & linguam, & populum dicens magna voce: Time Domini & date illi honorem, quia venit hora iudicij eius: & adorare eum, qui fecit cælum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt, & fontes aquarum. Et alius angelus secutus est dicens, Cecidit, cecidit Babylon illa magna, quæ à vino ira fornicationis sue potauit omnes gentes. Et tertius angelus secutus est illos dicens vocemagna. Si quis adorauerit bestiam & imaginem eius, & acceperit charactèrem in fronte sua aut in manu sua: hic bibet de vino ire Dei, quod mistum est mero in calice ire ipsius, & cruciabitur igne & sulphure in conspectu angelorum sanctorum & ante conspectum Agni.

Hic Angelus iubilantibus est Lutherus, non vultuosis Lutheranis, non Caluinistis. Multi hæc verba pro themate concionum vsurparunt, imprimis Matthias Hoc Archiconcionator Saxonicus Concionibus quinq; de Thaumasiandro & Triumphatore Luthero, cui video cæteros blandiri, vtpote ex aulica potentia venerando. Mirum vero est, tot concionibus ne vno quidem eos argumento probare Lutherum esse angelum, sed tantum affirmare, & tanquam id certum sit, inde confectaria deducere, epiphonemata proclamare. Sed ille adeo stolidus est, vt confessionem Augustanam tenere se putet integram, aut ex opinionibus Lutheri se Euangelium docere. Ideoque in concione prima in Caluinistas iracunde inuehitur. Plurimi alij in hoc argumento versati, hunc angelum de Luthero interpretati sunt. Quorum illa est ratiocinatio. Angelus qui volans per medium cœli, fert librum Euangelij æterni, is audiendus est. Sed angelus ille est Lutherus, igitur audiendus est Lutherus. Igitur est Antichristus Pontifex.

Lutherus angelus est Lutheranus.

Nemo non videt totam difficultatem in minore consistere, si enim ita est; omnibus nobis antiqua fide mi gran-

migrandum est, Caluiniānis quoque retro ad Lutheranos, unde plerique recesserunt, vela dare oportet.

Primum itaque sedulo atque in timore Dei considerandum est, an in verbo Dei sit ille articulus: *Lutherus est angelus habens librum Euangelij æterni*. Quod si in sacris scripturis non est, an ex illis euidenti consequentia deducatur? Iubilatores nostri ridicule faciunt, dum hyperbolice contra verum, & supra fidem laudantes Lutherum, rem confecisse se putant, si aliqua in vitroque similia commenti sint, ut maiore probabilitate olim Epicurum in hortulis suis porcelli illi dilaudarint, quem cælo quasi lapsū arbitrabantur; quam hæc oracula ad Lutherum transferebant Luthericolæ.

Causæ cur ita sentiam sunt multæ.

Pauci Lutheri angelicum volatū imputant.

Prima. Quia nemo præter paucos Lutheranos ita prophetiam interpretatus est. Deinde illi nullo modo conueniunt. Nam Hutterus lib. de sacrificio Lutherum iudicat; alii primum angelum esse Lutherum, sed determinate ut contra indulgentias prædicauit, alium vero angelum esse eundem Lutherum cum Antichristum reuelat, & damnat. Tertium angelum esse Lutherum, & Lutheranos qui interim oppugnant, & omnes cum Papa collusiones. Tertio, Caluiniāni Ioannem Wicleffum anglicum doctorem, esse hunc angelum Bibliophorum arbitrati sunt, ita Pareus in hunc locum.

Caluiniāni Wicleffum illo dignantur honore.

Hic angelus est Anglicus Doctor Ioh. Wicleff in Oxoniensi Academia Professor publicus, vir toto orbe nominatissimus, qui cum totus Occidens bestiam Romanam sequeretur admirans anno 1371. in Angliā aduersus Antichristum concionibus & scriptis detonare cepit, docens ex Euangelio: Non debere esse in Ecclesia Christi supremum aliquem Episcopum: Papam non esse vicarium Christi, sed Antichristum, eius priuilegia, bullas, dispensationes & indulgentias esse otiosas, inutiles, impias: spiritibus non esse dandum dominum politicum, &c.

Cur nō potius Augustinū, Vincenciū, Dominicum, Ignatiū, Xauerium.

Vix igitur dubium est, quin eodem Anabaptistæ suos, Sociniani Ostrodium, alii Swenckfeldium nominaturi sint, nemo certe aliorum Lutherum tanto honore dignabitur. Non igitur hoc fundamento ad firmandam fidem niti oportet. Cum res nondum probata sit.

Lutheri mores porcis quā angelis similiores.

Secunda ratio. Angeli natura nimium quantum à moribus Lutheri distat. Nolo illa referre quæ notissima sunt, ex sympoliacis, & turpiloiis illius, quæ totus mundus Germaniæ illi obiicit, quæ posterius hincinde verecundia tam magnæ *αἰσχρῶς*, deleuerunt. Hoc tantum modo rogo, ut legatur Lutherus Anglicus. nulla alia oratione opus fuerit.

Lutherici nominis pars parua est.

Tertia ratio. Non volat per medium cæli, & *ἐν μέσῳ οὐρανόθεν*, hoc est loco conspicuo per totum mundum, sed in vnica parte, quæ mox tamen in particulari disiecta est, & nunc fere extinctum est etiam nomen Euangelij Lutherani, res enim dudum in nihilum abiit. Quantulus enim angulus est Germaniæ, in quo manet integrum nomen Lutherismi? Et in illis ipsis angulis sub alienis hæresibus miserrime trepidat, imo ita contemnitur, ut nihil sit abiecius ministris Luthericis, testem cito senem Paulum Laurentium Misniensem concionatorem, conc. Iubil. 2. pag. quadragesima septima. Iam non adeo diligenter, nec pie templa frequentantur, cōciones audiuntur; passim hæc se secum posse discere credunt homines; neque tantum nouas audiendi cupidi conacionalis officium ita fastidiunt, ut multi filios suos in Concionatorum venire numerum prorsus abnuant; multos etiam prædicantium filios, postquam ad alios honorem, & officiorum gradus sunt euecti, pudeat patre se prædicante genitos. Non igitur ne Lutherismi quidem suos prædicantes eiusmodi angelos arbitrantur, quos ut histrones, & mendaciorum factores contemptui, & ludibrio habent.

Prædicantem esse apud Lutheranos est probrosum.

Quarta ratio. Euangelium Lutheri non est æternum; Nam ante Lutherum nemo illud norat, & illi fuit Lutherus superstes. Hoc si quis negarit, necesse est vel vnum ante Lutherum, vel cum Luthero, vel post Lutherum nominare, Luthero consentientem. Imo ostendendum Lutherum sibi constituisse; quod nemo ne Lutheranos quidem credit.

Quinta ratio. Angelus hoc modo per cælum volans, sine errore Euangelium docet. Lutherus cum incepit, & aliquandiu docuit, se adhuc fuisse insanissimum Papistam fatetur. Pareus primis annis fuisse Augustinianum affirmat. Verba eius, l. 4. c. 13. de Cæna Domini.

Nec sumo mihi iudicium de tanto viro, & Dei aduersus Lutheri Papatum singulari organo. Saltem quantum ad hanc questionem dicam id, quod non semel interrogatus respondi, quodque scripta eius & historia comprobant, Lutherum à Luthero distinguendum esse. Homo enim fuit, in contentione feruentior sepe (quod magni ingenis contingere solet) quam circumspicietior, aut veritæque seruantiior.

Augustinianum amplectere: ad annum 24.
Synecdochistam ne tene: ad ann. 29.
Concordiam eius suscipe: ad ann. 43.
At parua confessum fuge: ad ann. 44.
Rursus satentem sustine: ad ann. 46.

Non est igitur Euangelium æternum, quod nunc est Augustiniani, nunc Synecdochistæ, nunc Zwingliano-concordistæ, deinde parua & praua confelli, denique fatentis errorem, nec sine errore tamen alio errorem contentitis.

Obiiciunt tamen nobis: Ideo Lutherum esse angelum, quia liber fuit eius volatus à iurisdictione Papæ. Verum non est vlli momenti hæc ratio, omnes enim quotquot olim, quotquot nunc ex orco emerunt hæreses, libertatem eam, licentiamque, alioqui mancipia peccati, vrsurparunt. Nec laudis est ipso Ecclesiæ & antiquitatis iudicio, suis auspiciis, non vlitata via ad gloriam tendere. Hanc vero ob causam Icarus volatus fuit, & decidit in Papatum Saxonicum, ut Clebitius Caluinista scribit, queriturque Melanchthon *pro iugo ligneo ferreum impostum*. Quod si videre possent Ministri verum, certe animaduertent, sole clarius, maiorem fuisse, & esse inter nos docendi libertatem, quam inter eos, qui tot catenis attriti, Dædalos fæ Apocalypicos esse imaginantur. Nonne à regibus, à curiis docendi leges accipiunt? Videant obsecro acta Marpurgensia anni 1606. Antwort auff den Historischen Bericht der Marpurgischen Kirchhändel pag. 49. & 50. Vbi Illustrissimus Landgrauus Hassiæ Lutheranis cedere Ecclesiis, & ministerio reculantibus ius suum exponit: narrat rem ipsimet exules hisce verbis: *Daß wir aber vns beschweren / vnsere Diensten selbst*

Libertas à legitimi pastoris imperio seruatiorem induxit.

Yhr. Fürstl. Gn. auffzutragen / vnd zu resignieren / käme Yhr das wunderbarlich für / da sie vns noch nie nicht angenommen / sondern es weren solche Aempter allbereits soß gestorben mit dem Herrn / dem wir zimor gedienet / vnd ipso facto vns resigniert. Quod grauemur ipsimet nostra ministeria sue Celsitudini tradere, & resignare, id sibi admirabile videri, cum nos nondum acceptauerit, sed omnia illa officia cum domino priore defuncto, cui seruimus vacua esse facta, atque exspirasse, atque ipso facto sue Celsitudini resignata. Ecce libertatem Angelorum per medium cæli volantium. Non modo dimittere, recipere, præcipere de prædicatione possunt principes sæculares, sed ipsorum morte ut palatina officia scribarum, & equisonum, ita quoque prædicantium ministeria deficiunt, nec nisi noui domini, voluntate, atque acceptatione rata sunt.

Pro Papæ iugo ligneo datum est iugum ferreum.

Sexta ratio est. Non cōuenit oratio huius Angeli, & Lutheri, Verba angeli sunt. *Time te dominum, & date illi honorem, quia venit hora iudicij eius, & adorare eū, qui fecit cælum*

Luther. ti-
morem pel-
lere cona-
tur.

cit ielum & terram, & mare, & omnia que in eo sunt, & fontes aquarum.

Lutberi verbum est, timorem Dei perniciosum esse, magis peccatores facere. Vetat considerari Christum ut iudicem, & vindicem.

Deinde docet fiduciam, quæ omnem timorem excludit. Angelus timere Dominum iubet, quia venit hora iudicii ejus: At timere Dei iudicium, ac penas iudicio decretas & Lutherani & Calviniani iudicant esse fremitum contra Deum, & ad desperationem deducere, hic autem Angelus ad crimina, & blasphemias nequaquam adhortatur.

Nec Angelus ille est Wicleffus, ut Pareus putat. Nam Angelus hic non docet hæreses, at Wicleffus multas hæreses protrahit, quas etiam non potest inficiari Pareus esse hæreses: In Concilio Constant. sess. 8. & 45. numerantur articuli 45. quos Concilium damnauit, & Pareus ex his quoque damnare debet nonnullos.

Quantum articulum, si Episcopus, aut Sacerdos existat in peccato mortali, non ordinare, non consecrare, non consicere, non baptizare.

Angelica
dogmata
Wicleffi.

Sextum, Deum debere obedire Diabolo.

Decimum, Contra Scripturam sacram esse quod viri Ecclesiastici habeant possessiones.

Vndecimum, Nullum Prælatum debere aliquem excommunicare, nisi prius sciat eum excommunicatum à Deo, & qui sic excommunicat, fieri ex hoc hæreticum, & excommu-

Cur hæc in
Reipublic.
inducun-
tur.

nicatum. Decimum quintum, Nullum esse Dominum civilem, nullum esse Prælatum, nullum Episcopum, dum est in peccato mortali.

Decimum septimum, Populares posse ad suum arbitrium Dominos delinquentes corrigere.

Vigesimalium septimum, Omnia de necessitate absoluta euenire.

Vicesimum nonum, vniuersitates, studia, Collegia, graduationes & Magisteria in eodem esse vana gentilitate introducta, & tantum prodesse Ecclesiæ, sicut Diabolum.

Quadragesimum tertium, Iuramenta illicita esse, que sunt ad corroborandos humanos contractus & commercia ciuilia.

Quadragesimum quintum, Omnes Religiones indifferenter introductas esse à Diabolo.

Veteres Pō- Alios collegerunt alii, ut Matrimonium lege diuina
tifices agno- licitum esse inter fratres, & sorores, nec nisi humana ordina-
uit ad Vr- tione inter dictum, ita l. 4. dialogi c. 20. Et quod omni-
banum VI. no blasphemum est. Creaturam quamlibet esse ac vocari
qui animum posse Deum, quod illius perfectio sit in Deo, ut in sua caussa, &
1378, sedit. quidem modo idealis & exemplari.

Wicleff Quid vero illud? Quod vsq; ad Vrbanum veros Ponti-
multa Ca- fices agnoscat, cum Caluinus Gregorium vltimum putet? Cum
alij à Lino & Cleto Antichristianos auspicentur? Ver-
ba ejus sunt errore nono. Post Vrbanum Sextum non esse
alium Pontificem suscipiendum, cum Vrbanus vero communi-
cationem habuit, si igitur verus Angelus est Wicleff,
omnes Prædicantes damnantur, quia possessiones
habent, non quantas vellent, sed quantas aula per-
mittit.

Multa ille Catholica retinuit, quæ Calviniani de-
testantur. l. 2. c. 4. meritum agnoscat. & l. 3. c. 2.

Fidem ponit in intellectu, & à spe distinguit. l. 3. c. 2. quod
est contra Calvinianos.

Fidem habere meritum. ibidem.

Fidem & spem tribus modis distinguit. libr. 3. c. 3.

1. Spes est solum de eterno premio, fides de omni alia veritate.
2. Spes quietatur in quodam actu medio inter dubietatem, &
credulitatem. 3. Spes est tantum de bono possibili, fides de ma-
lo etiam, quæ sunt contra Caluinum.

C. 3. l. 3. ait Deum approbare & necessitare ad peccatum,
sic necessitare creaturam peccabilem ad peccatum. Hoc Cal-
uiniani multi negant, & recte.

Cap. 5. ait, peccato aliquo gratiam exstingui. Rigidus
igitur hac in parte est.

Cap. 6. Multos præcitos, hoc est reprobos, ait, esse in præ-
senti gratia.

L. 4. c. 1. Agnoscat septem Sacramenta.

L. 4. c. 20. Matrimonium vocat venerabile Sacramentum.

L. 4. c. 22. agnoscat purgatorium.

L. 4. c. 24. Contritionem vocat dolorem sufficientem ad
peccati deletionem, & penitere est peccata plangere, & plan-
genda non committere.

Hæc aliaq; tam docet aliena ab hodierno Calui-
nismo, ut mihi magis ridiculus sit visus Pareus, dum
Wicleffum canonizat, & angelum facit, quam cum
dixit, Calvinianos, & Lutheranos in vno tantum ar-
ticulo, eoque non toto discrepare. Sed ex aeterno
dæmone Angelus fieri sine ingentibus mendaciis
non potest.

Excusat se tamen Pareus: Non displicet Brich-
manni coniectura, significari hoc volatu inter vtrumq; im-
perfectionem doctrinæ initio ab illis Doctoribus prolata. Licet
enim errores crassiores Papa viderent & reprehenderent: ta-
men aliquid adhuc de seculis terrenis in multis adhærebat,
ut non plenis alis sese in summum cælum efferre possent. Ut
enim qui diu in tenebris delituit, repente prodiens in lucem om-
nia oculis caligantibus adspicit: ita qui in tot seculorum
Papatus tenebris detenti fuerant, protinus haud poterant, nisi
caligantibus oculis lucem Euangelij aspicere, sed primum
hoc absurdum est: Angelum esse tam ignorantem,
tàm blasphemum, & mitti tanquam Magistrum om-
nibus sedentibus in terra, super omnem tribum, & gen-
tem & linguam, & populum. Angelum inquam gene-
ralem mundi Doctorem, tenentem Euangelium æ-
ternum tàm solenniter à Deo missum, tot errores
nomine Euangelii æterni circumferre. Si igitur in
tam multis Angeli aberrant, non est causa cur illis
credamus. Nam pluribus in rebus nobiscum sentit,
quam cum Calvinianis Wicleffus.

Angelus ille
cæcutiebat,
& caliga-
bat.

Si Angelus
tot modis
errauit, cur
non nobis i-
gnoscat,
quos errare
sint?

Cum verò Angelus ille venerit eo tempore, quo
bestia secunda, fecit homines adorare imaginem pri-
mæ bestie, aduersarij autem prima bestia sit Imperi-
um, seu Imperator, altera Papa seu Papatus, & non-
dum Papa iusserit adorari imaginem Imperatoris, aut
Imperii, aut gerere ejus characterem, necdum etiam
venit ille Angelus, non igitur Wicleffus fuit. Tres
igitur illi Angeli tres erunt præcipui Doctores, Anti-
christi tempore, qui bestie repugnabunt, qui veram
doctrinam promulgabunt.

CAP V T XXIV.

Verbis Danielis c. 7. 21. & 8. vers. 23. non
describitur Romanus Pontifex.

S. 1. V Erba Danielis c. 7. v. 21. Aspiciebam, & ecce cornu
illud faciebat bellum aduersus sanctos, & præuale-
bat eis: donec venit antiquus dierum & iudicium dedit sanctis
excelsis, & tempus aduenit, & regnum obtinuerunt sancti.
Et sic ait: bestia quarta, regnum quartum erit in terra, quod
maius erit omnibus regnis, & deuorabit omnem terram, &
conculcabit & comminuet eam. Porro cornua decem ipsius
regni, decem Reges erunt: & alius consurget post eos, & ipse
potentior erit prioribus, & tres Reges humiliabit. Et sermo-
nes contra Excelsum loquetur, & Sanctos Altissimi conteret:
& putabit quod possit mutare tempora & leges, & traden-
tur in manu eius vsq; ad tempus & tempora, & dimidium
te nitoris.

Verba Danielis Prophetæ c. 8. sunt. Et post regnum
eorum cū creuerint iniquitates, consurget Rex impudens facie,
& intelligens propositiones, & roboretur fortitudo eius, sed
non in viribus suis, & supra quam credi potest, vniuersa vā-
stabit.